



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

18. An suspensus ex Ordinatione ante legitimam ætatem, si canat
Euangelium, & Epistolam in eadem Missa, incurrat irregularitatem? Et
notatur, quod Sacerdos Ordinatione sua incurrens hanc ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

RESOL. XVI.

An sit irregularis Latinus, si ordinetur à Græco, vel Græcus, si ordinetur à Latino?
Et quid, si ordinetur ab Episcopo schismatico, non obstante instructione Clem. VIII. super ritibus Græcorum anno 1595. Ex p. 4. tract. 2. Ref. 54.

§. 1. **A**ffirmativam sententiam quoad primum docet Majolus lib. 4. de irregular. c. 32. quod probat ex c. cum secundum, ex cap. ex parte, de temp. ord. Sed contrarium tenendum est, quia in priori c. cum secundum? verum est quod id prohibetur, sed pena irregularitatis non imponitur; & ita hanc sententiam negativam tenet Turrianus de censur. lib. 9. disp. 61. dub. 3. Filiucius tom. 1. tract. 20. c. 7. num. 102. & alii; non nego tamen esse prohibitum Græcos ordinari à Latinis, & Latinos à Græcis, ut probat Azorius tom. 2. lib. 3. c. 48. quest. 14.

2. Quoad secundum dico non incurri irregularitatem propter susceptionem Ordinum ab Episcopo schismatico, & ita censuerunt quinque Theologi Societatis Iesu in Colleg. Rom. in consultatione de hac re habita, ut testatur & probat Io. Præpositus in 3. part. quest. 5. de irregul. dub. 5. num. 28. non obstante instructione Clement. VIII. super Ritibus Græcorum anno 1595. quam interpretatur Præpositus ibi supra.

RESOL. XVII.

An suspensus ab Ordine incurrat irregularitatem, si ad Ordinem superiorem ascendat.

Et docetur primum Sacrificium non estimari actum illum celebrationis tunc ab Ordinatis.

Et an Episcopus suspensus à Pontificalibus incurrat irregularitatem, si Missam celebret cum apparatu Episcopali?

Et an excommunicati, & suspensi, sunt irregulares, si exerceant ea, quæ pertinent ad jurisdictionem fori exterioris?

Et quid, si Parochus excommunicatus matrimonio assistat, an incurrat irregularitatem?

Et docetur excommunicatum, suspensum, & interdictum non incurrare irregularitatem, si exerceant solemniter actus minorum Ordinum. Ex p. 4. tract. 2. Ref. 92.

§. 1. **A**ffirmativè respondet Covarr. in cap. alma part. 2. §. 3. n. 5. Navarr. lib. 1. consil. 26. a. 2. de tempor. ordin. & alii apud Henriquez lib. 14. c. 6. n. 4. in glossa lit. C. quia ascensus ad Ordinem superiorem est veluti exercitium Ordinis inferioris à quo suspensus est. Et ideo si Diaconus ab Ordine suspensus sacerdotium accipiat, exerceat ministerium Presbyteri facificando cum Episcopo. Item Subdiaconus cantando solemniter Evangelium. Ergo, &c.

2. Sed ego negativam sententiam probabiliorem esse existimo cum Suarez de censuris disp. 42. sect. 3. n. 2. Sayro de censuris lib. 4. c. 16. num. 22. & aliis communiter, quia talis irregularitas non est in jure expressa, nec valet pimum argumentum supra adductum. quia, ut probat Layman in Theol. moral. lib. 1. tract. 5. part. 3. c. 1. corollar. 6. susceptionem Ordinis superioris non nisi improprie & abusive dici posse exercitium Ordinis inferioris.

3. Ad primum argumentum assero, ut alibi probavi, primum sacrificium non estimari actum illum

concelebrationis. Ita Avila de censur. part. 3. disp. 5. dub. 7. assert. 3. Henriquez lib. 14. cap. 3. n. 6. Medina in summa, lib. 1. c. 11. y. 8. & alii.

4. Notandum est etiam hic obiter Episcopum suspensum à Pontificalibus non incurere irregularitatem, si Missam celebret cum apparatu Episcopali, quia ab actu celebrandi secundum substantiam suspensus non est, sed tantum secundum solemnitatem accidentalem. Ita Avila de censur. part. 7. disp. 9. sect. 2. dub. 2. §. sed notandum. Covarr. in Clem. part. 1. §. 1. n. 1. Sylvest. ver. suspensio, quest. 5. & alii.

5. Nota etiam excommunicatos & suspensos non fieri irregulares, si exerceant ea quæ pertinent ad jurisdictionem fori exterioris, ut si aliquis excommunicet, suspendat, aut absolvat ab aliqua censura, dummodo absolvat absque solemnitate, nempe sine stola, Psalms, &c. hinc ego olim rectè consului, Parochum excommunicatum matrimonio assistentem non incurrisse irregularitatem. Vide Avilam loco citato, qui dub. 3. rectè etiam docet contra Sylvestrum & Navarrum, excommunicatum, suspensum, & interdictum non incurere irregularitatem, si exerceat solemniter actus minorum Ordinum.

RESOL. XVIII.

An suspensus ex ordinatione ante legitimam ætatem, si canat Evangelium, & Epistolam in eadem Missa, incurrat irregularitatem?

Et notatur quod Sacerdos ordinatione sua incurrens hanc suspensionem non sit irregularis, consecrando simul cum Ordinate, nec Diaconus tunc canens Evangelium. Ex p. 5. tract. 10. Ref. 37.

§. 1. **A**ffirmativè respondet Hurtadus tract. de susp. diff. 13. n. 36. ubi ita ait. Sacerdos simoniae ordinatus non sit irregularis ex eo, quod consecret cum Episcopo ordinante, quia tunc ejus ordinatio non est completa, quia nondum ei concessa est potestas absolvendi à peccatis, ac proinde tunc nondum incurrit suspensionem, quia hæc tantum incurritur ob peccatum completum ordinationis. Imò Suarez disp. 31. sect. 1. & Egidius excusat ab irregularitate canentes Epistolam & Evangelium in eadem Missa, quia actiones illæ non censentur fieri post ordinationem, quia ordinatio durare censetur, quamdiu durat Missa in qua fit. Nos tamen id existimamus falsum, quia actiones illæ verè fiunt post jam perfectam ordinationem Subdiaconi & Diaconi. Ita Hurtadus, & ante illum Avila de censur. part. 3. disp. 5. dub. 7. §. Dico secundò.

2. Sed sententiam Suarez & Coninch, quam ipse falsam vocat, novissimè docet etiam Mercerus de Sacram. in 3. p. g. 24. dub. 7. ubi sic asserit: Tertia suspensio fertur per Pium V. contra eos, qui ante legitimam ætatem, aut extra tempora collationi Ordinum decreta scienter accipiunt sacros Ordines. Isti suspenduntur ab Ordinibus sic susceptis.

3. Notandum quod Sacerdos ordinatione sua incurrens hanc suspensionem, non sit irregularis consecrando simul cum ordinante, neque Diaconus tunc canens Evangelium, quia actus hi non fiunt moraliter loquendo, post ordinationem, quæ durante officio durare censetur. Ita ille, Cui etiam adde Coninch de Sacram. disp. 16. dub. 5. n. 36. ita enim ait: Nota Sacerdotem sua ordinatione incurrentem hanc suspensionem non fieri irregularem consecrando simul cum ordinante, quia tunc nondum ejus ordinatio perfecta est, & consequenter nec suspensio perfectè incurta: secus autem est secundum aliquos de Diacono canente Evangelium in eodem Sacro, quia hæc est actio Ordinis sequens perfe-

Sup. hoc sup. in tr. 3. Ref. 23. §. Sed difficultas.

Sup. his in Ref. & §. nec. in hoc sup. in tr. 3. Ref. 23. §. Sed difficultas.

Sup. hoc in Ref. præterit. §. Ad primò.

perfectam ordinationem. Probabilius tamen Suarez *disp. 13. sect. 1. n. 17.* etiam de hoc id negat, quia hi actus moraliter loquendo, non sunt post ordinationem, quæ censetur durare, quandiu durat Officium. Visde immerito hanc sententiam doctus Hurtadus falsam vocavit, est enim probabilis, & tuta in praxi.

RESOL. XIX.

Sup. prima diff. hujus tituli in Resolutionibus positus in annot. ult. hujus Ref.
An Parochus, qui rebaptizavit sub conditione infantem expositum cum scheda de collato Baptismo, sit tanquam irregularis repellendus a consecratione ejusdem beneficii?
Et resolutio hujus questionis pendet ex ea, an illicitè baptizetur infans expositus cum scheda testificante illum fuisse baptizatum?
Et quid, si talis expositus fuisset inter Saracenos, aut Indos, etiam si haberet tale testimonium, aut schedulam testificantem esse baptizatum? Ex p. 10. tract. 16. & Misc. 6. Ref. 87.

Sup. hac prim. diff. hujus tituli in Resolutionibus positus in annot. ult. hujus Ref.
§. 1. Resolutio hujus casus pendet ex illa difficultate, an illicitè baptizetur infans expositus cum scheda testificante, illum fuisse baptizatum? & in affirmativam sententiam ego olim inclinavi. Præter Doctores à me citatos, hanc sententiam docet Castus Palauus tom. 3. tract. 19. punct. 13. n. 6. & Dicastrillus de Sacram. tract. 2. disp. 1. dub. 7. n. 176. ubi sic ait: De infantibus verò expositis rectè notat Vasquez ex Soto, & Paludanus n. 26. nisi aliunde constet, esse baptizatos, sub conditione baptizati debere; id quod merito cum eodem Soto intelligit Vasquez, quando exponeretur sine alio testimonio; si tamen in cartha etiam à nemine subscripta secum haberet testimonium baptismi, nec sub conditione esset baptizandus; certissime enim intelligitur, parentes esse Christianos, & voluisse cavere iterationem Baptismi. Si verò id non contingat inter Christianos, sed expositus crederetur à Saracenis, aut Indis, qui exsecrantur Baptismum Christianorum, tunc merito putat Vasquez esse baptizandum sub conditione, etiam si haberet tale testimonium; expositum verò absque illo testimonio sub conditione baptizandum esse, in quo alii etiam Auctores citati conveniunt. Ita Dicastrillus.
2. Sed contrariam sententiam docent non pauci nostræ ætatis præstantissimi Theologi, & in primis agmen ducant deo amicissimi viri Quintanadueñas in Theol. mor. tom. 1. tract. 1. sing. 9. & Antonius Frances in Pastoral. part. 2. tract. unico, quest. 4. & 5. qui validissimis rationibus hanc sententiam firmant, & respondent ad argumenta contraria. Idem etiam, præter Marchant. in pract. 5. tract. 13. resol. 85. à me adductum tenet Ioan. Henriquez in pract. quest. sect. 19. q. 10. ubi sic ait: De a qui se inferre, ser necessario baptizar los niños, puestas a las puertas de las Iglesias, o en las casas particulares sin que se pueda saber quien son sus padres, para poderles preguntar, si estan baptizados. Y advierto, que aunque se hallen estos niños con un papel, que diga, que estan baptizados, no sienper totam, & do el papel autentico, es dudoso el baptismo, &c. Huic ref. & §. 5. sententia adheret Pater Leandrus de Sacram. tom. 1. ejus annot. tract. 2. disp. 3. quest. 44. firmans, non solum debere baptizari sub conditione, in casu, quo tales infantes non ferant schedulam, in qua scriptum habeatur, eos fuisse baptizatos, (ut omnes Doctores testantur) Verum etiam in casu, in quo inscriptum ferat, fuisse baptizatos; si nomen testis ad minus non probatur; & testatur, quod hanc sententiam approbat usus, & praxis hospitalis Expositorum Tolentanz Civitatis, ubi om-

Quæ nunc invenitur in tom. 1. tr. 1. Ref. 80. si-gnante in §. Sed. paulo post init. à ver. Nam si.

nes sub conditione baptizantur, quamvis secum ferant de baptismo schedulas.

3. Hanc etiam sententiam docet Torrecblanca in pract. spir. l. 2. c. 4. Vnde (ait) expositus baptizandus est in quacunque ætate, saltem sub conditione, quando de ejus baptismo non constat. Constat autem non dicitur per schedulam simplicem, etiam sub scriptam, quam tales expositi portare solent, aut per assertionem unius vetulæ, ut arbitrantur, Paludanus, Soto, & Henriquez. Sed per sufficientem probationem, vel ipsius baptizati assertionem, si solum agitur de baptismo iterando, ut decisum est in Conc. Carthag. cap. 6. reatum in cap. placit. de consecrat. Sic ille.

4. Et tandem Adamus Opatovius à nemine oblitus de Sacram. tract. de Baptismo, disp. 1. q. 7. n. 47. sic ait: De pueris verò expositis, si habent in collo scriptum appensum, si non, quod fuerint baptizati, dico, sub conditione esse baptizandos, ne manifestè pereant.

5. Vidisti, amice Lector, quot viri docti hanc sententiam docuerint, & rationes per extensum ad illam firmandam invenies apud Quintanam & Frances, ubi supra, qui quest. 3. mm. 38. testantur, hanc sententiam praticari in Diocesisbus Castrogustana, Hispanensi, & Cordubensi; unde licet ego olim in contrariam sententiam visus sum inclinare, quam novissime me citato mordicus tenet amicissimus Pater Lago de Sacram. lib. 2. cap. 4. q. 8. n. 19. tamen nunc existimo, sententiam asserentem, hos infantes esse rebaptizandos sub conditione, satis probabilem esse, & idè ad casum propositum respondeo, satis probabiliter Parochum, qui rebaptizavit sub conditione infantem expositum, cum scheda, nullam incurrisse irregularitatem, & per consequens, minimè esse repellendum à consecratione beneficii: nam, stante magna probabilitate dictæ opinionis, immuni fuit ab incuria dictæ irregularitatis late contra rebaptizantes: nam rebaptizavit in casu licito. Sed ego interrogatus de hoc casu plus addidi videlicet itando in opinione dictum Parochum non potuisse rebaptizare illum infantem expositum cum scheda, attamen eo ipso quod illum rebaptizavit sub conditione, nullam incurrisse irregularitatem: & præter DD. à me alibi pro hac opinione adductos, adduxi novissime Martinum de San Ioseph in Mon. Confes. tom. 1. lib. 1. tract. 3. de baptismo n. 9. ubi sic ait: El que rebautiza à sabiendas viendo que haze mal, pero absolutamente, fino de baxo de condicion, dicen, que incurre la irregularidad puesta en el Derecho al que rebautiza, Sayr. de Confes. lib. 7. c. 8. n. 32. Fernandez de Heredia de Sacram. Baptism. par. 4. dub. 2. n. 5. y otros. Pero tengo por mucho mas probable, que no le incurra, porque la irregularidad se puso al que rebautiza simpliciter, y no al que usó de condicion; è la irregularidad, ny otras censuras no se incurren, sino estan puestas en Derecho cap. is qui, de sentent. excomm. Ita ille, qui citat Valerium, Suarez, & Avilam. Itaque in utraque sententia superius adducta, dicendum est, supradictum Parochum, fuisse ex tali rebaptizatione immunem ab irregularitate, & posse sine ullo scrupulo beneficium obtinere, nec ex hoc capite ab ipso repellendum esse existimavi.

RESOL. XX.

An rebaptizantes solemniter sub conditione incurram irregularitatem? Ex p. 3. tr. 4. Ref. 9.

§. 1. Hic casus olim ad me delatus fuit, & quidam Theologus affirmativam sententiam tunc consulu-